

eo quod et ipse filius est Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat ¹.

Et post aliquantum : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. *Et alio loco* : Audiente autem omni populo, dixit Discipulis suis, Attendite a Scribis, qui ambulare volunt in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis : qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem : hi accipient damnationem majorem ².

Respicens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium divites : vidit autem et quamdam viduam pauperulam mittentem æra minuta duo. Et dixit, Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. Nam et omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit. *Item alio loco* : Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis ; et morte afficient ex vobis : et eritis odio omnibus propter nomen meum : et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Et post aliquantum* : Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam enim laqueus superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis ³.

¹ Luc. xix, 8-10. — ² Id. xx, 25 et 45-47. — ³ Id. xxi, 1-4, 14-19 et 34-36.

Item post aliquantum : Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis, Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis fiat sicut junior ; et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat ? nonne qui recumbit ? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. *Et alio in loco* : Orate ne intretis in tentationem ¹.

DE EVANGELIO SECUNDUM JOANNEM.

Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis ?

Et post aliquantum : Dixit autem Jesus, Nec ego te condemnabo. Vade, et amplius jam noli peccare. *Et paulo post* : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Et post paululum* : Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. *Et alibi* : Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum ².

Et post aliquantum : Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus : *Et alio loco* : Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei ³.

Et alibi : Vos vocatis me, magister et Domine, et bene

¹ Luc. xxii, 24-27 et 40. — ² Joan. v, 44. — ³ Id. viii, 11 et 31-35. — 4 Id. xii, 25, 26 et 43.

dicitis; sum etenim: si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. *Et paulo post*: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem¹.

Et paulo post: Si diligitis me, mandata mea servate.

Et post paululum: Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.

Et post tres versus: Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat².

Et paulo post: Manete in me, et ego in vobis. Sicut palme non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras. Sicut palme, et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et manete in ejus dilectione. Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam

¹ Joan. xiv, 13-15 et 34. — ² Id. xiv, 15 et 21-24.

sua quis ponat pro amicis suis. *Et paulo post*: Haec mando vobis, ut diligatis invicem¹.

Haec de quatuor Evangelii in hoc opere ponenda existimaui: ubi intelligi potest, tres Evangelistas: Matthaeum scilicet et Marcum et Lucam, ideo nobis plura dedisse praecepta vivendi: quia eam maxime secuti sunt partem, quae activa dicitur. Quia vero Joannes contemplativam magis tenuit, ideo cum ejus Evangelium superemineat caeteris multo pauciora tamen in eo morum praecepta comperimus. Hinc jam de illo libro cui titulum dederunt, Actus Apostolorum, commemoravimus quae invenimus omnino paucissima. Eo quippe rerum gestarum continetur historia, quibus aedificatur fides, magisque ibi exempla quam praecepta conscripta sunt.

DE LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM.

JACOBUS ergo loquens: Propter quod, *inquit*, ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Dominum; sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. *Et paulo post*: Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis. Valet².

Et post multa, cum Paulus apostolus praepositis Ecclesiae, quos congregaverat, loqueretur: Attendite, inquit, vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam

¹ Joan. xv, 4-17. — ² Act. xv, 19, 20 et 28, 29.

acquisivit sanguine suo. *Et paulo post idem ad eosdem*: Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi, ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ottendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quam accipere¹.

Et alio loco, cum Jacobus et qui cum eo erant, Paulo apostolo loquerentur, dixerunt ei: Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt; et omnes æmulatores sunt Legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per gentes sunt, Judæorum, dicens, non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Utique oportet convenire multitudinem; audient enim te supervenisse: hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se; his assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis, ut radant capita, et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens Legem. De iis autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus judicantes, ut abstineant se ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione².

Hæc de libro Actuum Apostolorum, nostro huic operi congruentia, quæ hic poneremus, satis esse comperimus. Ubi videmus Apostolos, eis qui ex Gentibus crediderunt, nulla voluisse onera veteris Legis imponere, quantum attinet ad corporalis abstinentiam voluptatis; nisi ut observarent ab his tribus, id est, ab eis quæ idolis immolarentur, et sanguine, et a fornicatione. Unde nonnulli putant tria tantum crimina esse mortifera, idololatriam, et homicidium, et

¹ Act. xx, 28 et 34, 35. — ² Id. xxi, 20-25.

fornicationem; ubi utique et adulterium, et omnis præter uxorem concubitus intelligitur: quasi non sint mortifera crimina quæcumque alia sunt præter hæc tria, quæ a regno Dei separant, aut inaniter et fallaciter dictum sit, Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt¹. Sed oportet nos repressa disputatione nostra, ad Epistolas apostolicas jam venire, et videre etiam in ipsis quid huic operi convenienter aptetur.

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

NON enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, justus autem ex fide vivit². Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ut sint inexcusabiles: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Qui commutaverunt veritatem

¹ 1. Cor. vi, 10. — ² Habac. i, 4.

Dei in mendacium; et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominie. Nam foeminae eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu foeminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes; et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semet ipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia; tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione; avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; susurrone, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed et qui consentiunt facientibus¹.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas. Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem, in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus; his quidem, qui secundum patientiam boni

¹ Rom. 1, 16-32.

operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus vitam æternam: his autem qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. *Et post paululum*: Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur. *Item paulo post*: Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: qui in Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est¹.

Et aliquantò post: Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem et accessum habemus fide in gratia ista, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis².

Et alio loco: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. *Et post paululum*: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem³.

¹ Rom. 11, 1-24. — ² Id. v, 2-5. — ³ Id. vi, 12, 13 et 19.

Et alio loco : Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. *Et post paululum* : Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatiamur, ut et conglorificemur. *Et post paululum* : Si autem quod non videmus, speramus ; per patientiam expectamus. *Et post paucos versus* : Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Et paulo post* : Quis nos separabit a charitate Christi, tribulatio ? an angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an gladius ? Sicut scriptum est ; « Quia propter » te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis¹. » Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro².

Et alio loco : Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura, « Omnis qui credit in illum, non confundetur³. » Non enim est distinctio Judæi et Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit⁴.

Et alio loco : Tu autem fide sta : noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt severitatem ; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate⁵.

¹ Psal. XLIII, 22. — ² Rom. VIII, 12-39. — ³ Isai. XXVIII, 16. — ⁴ Rom. X, 11-13. — ⁵ Id. XI, 20-22.

Et paulo post : Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo ; sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et placens, et perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate : dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono : charitatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes : sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, charissimi ; sed date locum iræ. Scriptum est enim, « Mihi vindictam, ego re-

» tribuam, dicit Dominus¹. » Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo: sed vince in bono malum².

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subjecti estote, non solum propter iram, sed et propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, Legem implevit. Nam Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio. Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis: sicut in die, honeste ambulemus, non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione

¹ Deut. xxxii, 35. — ² Rom. xii, 1-21.

et æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum. Et carnis curam ne feceritis in desideriis¹.

Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit manducare omnia: qui autem infirmus est, olera manducet. Is qui manducatur, non manducantem non spernat: et qui non manducatur, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui judicas alienum servum? Suo domino stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit: et qui manducatur, Domino manducatur; gratias enim agit Deo. Et qui non manducatur, Domino non manducatur, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus et mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei. Scriptum est enim, « Vivo ego, dicit » Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis » lingua confitebitur Deo². » Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus. Sed hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratribus vel scandalum. Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non enim est regnum Dei esca et potus, sed justi-

¹ Rom. xiii, 1-4. — ² Isai. xlv, 23.